





1552

1776, 5.

No: 957

TERMINI

L. 2. C. D. RESC. VENDIT.

DISSERTATIO  
QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENRICO GODOFREDO  
BAVERO

SVPR. CVR. PROVINC. LIPS. ASSESS. ORDINAR. RELI.  
D. XXIII. APRIL. A. C. MDCCLXXVI.

IN AVDITORIO ICTORVM  
TVEBITVR

IOHANNES GOTTLIEB SEYDEL  
ZITTAV. LVSAT.

LIPSIAE

EX OFFICINA BÜTTNERIA.



1788


DR. HANNOH GOBBERHO  
D. HANNOH GOBBERHO  
D. HANNOH GOBBERHO

DR. HANNOH GOBBERHO  
D. HANNOH GOBBERHO

DR. HANNOH GOBBERHO  
D. HANNOH GOBBERHO

DR. HANNOH GOBBERHO  
D. HANNOH GOBBERHO






B. C. D.

§. I.

**I**nterest reipublicae pariter, ut ciues, uti bonum virum decet, invicem versentur, pariter, ut pacta serventur, et sancta sit promissorum fides. Conspicua est Llatorum in conciliandis hisce praeceptis, quae alia saepius atque alia exigere videntur, in emtione venditione, aliis enim jam supersedere exemplis debeo, prudentia. Hinc contra vim et dolum contrahentibus succurrunt, caeterum dant veniam alterius circumveniendi, hisque ipsis circumventionibus modum statuunt. Inter beneficia, quibus deceptis succurritur, inprimis nota est *l. 2. C. de Rescind. vendit.* Huic brevibus immorari ob rem praesentem debeo, non, ut fori usum defendam, qui hoc praesidio uti non minus emptori, quam venditori, pariterque in locationibus, permutationibus, aliisque negotiis per-

(\*) 2

per-



permittit, de hac enim re jam alio loco dixi, sed ut, quod propius ad rem nostram pertinet, justis limitibus hoc juris beneficium circum scriptum ostendam.

§. 2.

Primo, dum l. 2. rescissionem concedit, si nec dimidia pars, vel, quod vi contrariorum inferunt, plus duplo veri pretii solutum sit, intelligunt omnes, rem venditam esse talem debere, cujus justum pretium ad certam pecuniae quantitatem possit reduci. Solent enim multis rebus homines ex suo quisque genio pretia affingere, quae aliis risu digna videantur. Quod, inter Anglos praesertim, in equis cursoribus quotidie videas.

§. 3.

Deinde, quoniam in omnibus contractibus initium negotii spectare oportet, quod postea vel accrescit pretio, vel decrescit, lucro damnove emtoris est *l. 8. in fin. C. d. Resc. vendit.* Videlicet incrementum ejusmodi superveniens, vel decrementum, est instar casus fortuiti, quem scimus, domino, eive, cui certa species debetur, contingere. Nihil que interest, intrinsicum sit, an extrinsecum.

§. 4.

Denique, etsi generalia sunt legis nostrae verba, tamen, quia nemo habendus est fraudare eos, qui sciunt

sciunt et consentiunt *I. 145. D. d. R. I.* juris ratio non sinit patrocinari, qui, dum norunt rei pretium, vel vltra duplum soluunt, vel minoris dimidio vendunt. Nostrium enim juris beneficium, quamvis adversarii simul dolum non defideret, vereque non fraudet, qui, quod agit, ipse haud nofcit, laesi tamen errorem vel ignorantiam supponere propterea debet, quod sciens viliori pretio venditor, vel majore emtor, haberi debet juris remedio vti noluisse. Vt, si postea provocet, suo contravenire facto, et ad jus, cui prius renunciaverit, redire velle, merito videatur.

## §. 5.

Neque exempla ejusmodi admodum rara sunt. Multae res ad necessitatem hominum non pertinentes vsus frequentia commendantur, quo rariore facto, non absolum est, malle venditorem vilius pretium, quam rem otiosam servare diutius. Interdum ob causas extrinsecas singularem homines ad res quasdam habent affectionem, eaque permoti vltra duplum soluunt. Brevis tempore post, quam nacti sunt possessionem, imaginarium illud pretium evanescit.

## §. 6.

Quam hoc loco MENCKENIVS §. 2. tit. d. rescind. emt. vendit. eorum favore exceptionem admittit, qui ob necessitatem urgentem scientes in vilius pretium consentiunt, ut juris rationi respondeat, vereor. Si quid video, debemus ad causas respicere, quae, intel-

(\*) 3 lectu

lectu juris ciuilib, consensui obstant. Praetor non ob quamcunque necessitatem, ob eam solum, quam vis iniusta stipulatoris imponit, ob solum ex stipulatoris dolo natum errorem promissori succurrit, eique accedunt leges, addito errore, quem laesio enormis comitatur. Nec leges a MENCKENIO adductae aliud in exemplo proposito efficiunt. In *l. n. C. d. t. Imperatt. venditionem fundi ob debitum urgens, urgentesve alios necessarios sumtus, non vilioie pretio, distracti ratam habent.* Fuitque adeo animus interroganti, an obtentu necessitatis, quae causam venditioni dederit, rescissio detur, hoc negare. Cui etsi responsioni insertur consilium, ex vili pretio petitum, nondum efficitur, hoc praesidio succurri omnino posse, qui ob necessitatem quamcunque vendiderit. Diversa sunt juris beneficia, quibus secundum facti qualitatem contra perfectam venditionem, interdum ob vim metumque, interdum ob difformitatem pretii, contrahentibus subuenitur. Utrumque suis terminis continetur.

## §. 7.

Aequè minus ad fulciendam MENCKENII exceptionem facit *l. 18. D. d. adim. l. transfer. legat.* vel potius verba finalia, *nemo in necessitatibus liberalis existit.* Hanc ego sententiam sic expono: Qui se ipsum vix alere valet, non potest erga alios liberalis esse. Quid inde. Ut, qui, victus quaerendi, vel gravioris mali evitandi causa, rem sciens viliori pretio vendiderit, valeat,



valeat, quod iusto pretio deest, petere, vel, oblato, quod accepit, rem venditam reuocare. Non opinor. Hoc tantum, ut certum habeamus, non vendidisse, si copia fuisset, alio modo, minus nociuo, sibi consulendi. Non omnia, quae quodammodo damnosa sunt, ejus, cui nocent, consensum excludunt. Ut potius summa ratione, fugiendi gravioris mali causa, levius placeat. Et quoniam placuit, nisi vis alterius injusta accesserit, dati restitutionem, secundum juris regulam, quod semel placuit, legis habet vigorem, nec debet amplius displicere, frustra quaeramus.

§. 8.

Quod magis etiam confirmat laudata *l. 18. D. d. adim. vel transf. legat.* Ibi, si testator rem legatam vivus propter necessitatem rei familiaris alii donavit, respondente *MODESTINO* legatum amittitur, etsi venditio ob rem testatoris angustam facta ademptionem legati non insert. Igitur, si, nihil impediante necessitate, in qua constitutus nemo facile liberalis est, legatarius, cui alias ex praesumptionibus contra heredem succurritur, voluntatem testatoris donandi, &, ob id, adimendi rem legatam, debet agnoscere, multo minus venditori licere potest, obligationem contractu probatam retractare.

§. 9.

Si, quod probasse mihi videor, *l. 2. venditoribus*, qui, veri pretii probe gnari, in vilius dimidio consentiant, sponte

sponte sua, an aegre hoc fecerint, non patrocinatur, per se patet, ex ea succurri non posse, qui donationem meditantibus, venditionem profitentur. His enim, praeter ea, quae attuli, etiam juris regula obstat, quae, quod agitur, potius, quam, quod simulate concipitur, spectare jubet. Hoc tamen, quia nemo temere haberi potest res suas jactare voluisse, largior, ex declaratione venditoris, se donare emptori velle, si quid praeter conventum, pretii rei venditae insit, abdicacionem nostri juris beneficii argui haud posse, de modica potius laesione intelligi eam debere. Quin, si diserte renunciatum sit actioni ex l. 2. instituendae, comperto errore, ob laesionem enormissimam venditori subveniendum esse, quia consensus ad non cogitata perducere non patitur, certum habeo. Fortè si quis vas pro cupreo habitum, in quo efformando magna ars fuerit conspicua, vendiderit, atque, de operae pretio cogitans, se legis secundae beneficio uti nolle declaraverit. Istud vas, ab emptore etiam cupreum habitum, si postea aureum comperiat, legis auxilium venditor suo jure implorabit. Etenim si emptor, quod aureum nosset, pro cupreo comparasset, ob hujus dolum, vel, si causam dedisset contrahendi, nullum esset negotium, vel indemnis certe venditor praestandus.

---

Leipzig, Diss., 1776 A-G



f

TA-706

aus 34 Stk. bisher verku.

VD  
18





1752

1776, 5.

TERMINI

No: 957.

L. 2. C. D. RESC. VENDIT.

DISSERTATIO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENRICO GODOFREDO  
BAVERO

SVPR. CVR. PROVINC. LIPS. ASSESS. ORDINAR. RELI.  
D. XXIII. APRIL. A. C. MDCCLXXVI.

IN AVDITORIO ICTORVM  
TVEBITVR

IOHANNES GOTTLIEB SEYDEL

ZITTAV. LVSAT.

LIPSIAE

EX OFFICINA BÜTTNERIA.

